

# Die Kanonisationsbulle des hl. Thomas von Aquin

Autor(en): **[s.n.]**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **1 (1923)**

PDF erstellt am: **15.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762810>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

# Die Kanonisationsbulle des hl. Thomas von Aquin.

Anlässlich des Thomas-Jubiläums wendet sich unsere Aufmerksamkeit naturgemäß auch jenem *Schriftstück* zu, durch welches Papst Johannes XXII. am 18. Juli 1323 den Englischen Lehrer unter die Zahl der Heiligen aufnahm.

Der Wortlaut desselben war uns bis vor wenigen Monaten bloß aus *Abschriften* bekannt, die unmittelbar nach der Ausfertigung der Bulle gemacht worden waren und die den verschiedenen gedruckten Bullarien als Vorlage dienten. Die *Original-Pergamentbulle* selber schien durch Jahrhunderte verloren zu sein, bis sie, infolge eines glücklichen Zusammentreffens, unmittelbar vor dem Anbruch des Jubeljahres durch Frl. M. Th. Porte im Departementsarchiv zu Toulouse (Archives départementales de la Haute-Garonne, Série H, Dominicains, liasse 99) wieder aufgefunden wurde. Den Ausführungen zufolge, die Abbé Auriol, Präsident der Südfranzösischen Archäologischen Gesellschaft, in einer Versammlung eben dieser Gesellschaft vom 5. Juni l. J. machte, war die Original-Bulle den Zisterziensern von Fossa-Nuova (bei Frosinone im Neapolitanischen), wo Thomas gestorben und wo seither sein Leib ruhte, übergeben worden. Als im Jahre 1368 bezw. 1369 auf Anordnung Papst Urban V. die Überführung der Reliquien nach Toulouse erfolgte, wurde auch die Bulle dorthin verbracht.

Wir geben im folgenden den Text der Bulle wieder.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Näheres über die Geschichte und Beschaffenheit der Bulle bieten die *Analecta Sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum*, a. XXXI (1923) pp. 173–192.

JOHANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI VENERABILIBUS FRATRIBUS UNIVERSIS, PATRIARCHIS, ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS AC DILECTIS FILIIS ELECTIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS, DECANIS, ARCHIDIACONIS, ARCHIPRESBITERIS, ALIISQUE ECCLESiarUM PRELATIS, AD QUOS LITTERE ISTE PERVENERINT, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

*Redemptionem misit dominus populo suo, cum dei verbum in virginalis uteri thalamo spiritus sancti cooperatione conceptum, caro factum est et habitavit in nobis, verbo suo nos instruens, exemplo nos docens, celestia reserans, occulta depromens, miraculis roborans, ac sacri eloquii testimoniis futura eadem fuisse confirmans, tandemque se deo patri in ara crucis hostiam acceptabilem offerens, peccata nostra pio cruore detersit, descendensque ad inferos spoliavit infernum, ac tertia die resurgens a mortuis, et per quadraginta dies apparens discipulis suis et loquens de regno dei, ipsis cernentibus est elevatus in celum, et captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus quibus patescere celum innotuit, reserata dudum clausa in se credentibus ianua paradisi. Patet ergo celum credentibus, patet humilibus, patet et hiis maxime qui honestatis, paupertatis et obedientie votis se deo, a quo per inobedientiam stulti discesserant, voluntaria sponsione devovent. Regnum enim celorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, dum propriis subactis affectibus, violentia quadam ad superiora contendunt.*

Hec itaque beatus Thomas de Aquino, ordinis fratrum predicatorum, sacre theologie doctor, nobilis quidem genere, sed nobilior conversatione, fama clarus, vita clarissimus, sedula meditatione revolvens, et attenta deliberatione discernens, dum adhuc infra pubertatis annos existeret, ipsius ordinis predicatorum habitum suscepit, in eo, invito patre etiam, qui eius felicibus actibus invidebat, constantius mansit, ac in ipso tandem regularem professionem emisit, ubi in brevi adeo scientia, vita et moribus profecit, ut etate adhuc iuvenis ad sacerdotium promoveretur, et ad eiusdem theologie magisterium Parisius, loco utique celeberrimo, assumptus, magno inibi sui sui que ordinis, ac Parisiensis studii favore per multorum annorum curricula cathedram regeret magistralem. Quippe cum illi vita existentiam, conversatio famam, doctrina pareret opinionem, opera divulgationem, eandemque tam brevi confecta tempore, admirationem merito exhiberent ut illud psalmi: *Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra*, in eo verissime impleretur. Quod utique thema idem

sanctus, dum esset in sacra pagina incepturus assumpsit, quodque, ut fertur, revelatione sibi post suam orationem facta didicerat, dum propter iuventutem suam ipse se inhabilem ad magisterium reputans, quid proponeret in instanti sibi principio hesitaret.

Nam et in primitivis scientiis et diversis philosophię partibus, ut non esset otiosus, sed operaretur terram, necnon in sacre scripture pagina, tam super novum quam vetus testamentum scripta, plurimaque alia opera in dei laudem, fidei dilatationem, eruditionemque studentium, clara, cum sciens esset, famosa, cum cognitus, non absque specialis doni gratie infusione perfecit. *Doctrina quippe prudentium facilis, et omnino scientis signum est posse docere.*

Perfecit utique vir peritus, a terrenorum ambitione semotus, et ad celestium assecutionem intentus, profecto vacans studio, intendebat deo, pretermittebat terrena, ut assequeretur eterna, premittebat divina ut roboraretur in scola, cum singulis diebus antequam lecturus ascenderet cathedram, vel distraheretur ad alia, missam unam celebraret, aliam audiret vel duas integre missas si non celebrasset audiret, in quibus, et alias etiam in oratione, cum in illa foret assiduus, lacrimarum effusionem, mentis sue dulcedinem, devotionemque deo, cui nihil est absconditum, revelabat.

Cumque castitatis nitore canderet, in parsimonia devota hanc custodiebat humilitate, hancque eadem sobrietate medica nutriebat, adeo ut multi eum in carne virginitate mansisse incorruptum extimarent. Quod eiusdem sancti confessor ordinis memorati, qui longo tempore ipsius confessionem audierat, publice, ut ad nos testimonio fide digno pervenit, coram omnibus die defunctionis, eiusdem asseruit, dicens: *Ego confessionem generalem istius sancti viri audivi, de quo testificor, quia ita inveni eum purum, sicut puerum quinque annorum, quia numquam sue carnis sensit corruptelam.* Qui preterea vir dei, cibis religiosorum, vestimentisque communibus contentus, conversatione mitis, benignitate suavis, pietate misericors, humilitate subiectus, ceterarumque virtutum varietate redimitus, honorum supercilium, mulierumque cautius consortia spernebat; non elatus, ut premineret, nec et disputans, quod et interdum disputantium solet esse commercium, iactator effectus, ut ampullosis, etiam si sibi eadem iniicerentur ab aliis, in illo palestrice silogizationis exercitio uteretur. Totus ergo dei famulus divinis operibus intentus, aut eruditioni, qua precellebat, aut predicationi, qua motivus erat, aut orationi, qua devotus, aut scripture, qua profundus, sedulus vacabat; adeo ut preter

naturalis necessitatis, aut quietis horas, nullum sibi aut vix temporis spatium relinqueret otiosum.

Appropinquante autem die qua de hoc seculo migraturus erat ad dominum, quaque devicto, triumphatoque mundo, in perpetuas eternitates recipiendus erat in patria, nam *laborum bonorum gloriosus est fructus*, cum a felicitis recordationis Gregorio. PP. X. predecessore nostro, ad Lugdunense Concilium propter eius eminentem scientiam diceretur esse vocatus, de Neapoli veniens, ubi tunc temporis more solito famose legebat ut doctor, et per maritimam transiens, cum ad monasterium Fossenove ordinis Cisterciensis Terracinensis Diocesis, parumper discrasiatum, per dies aliquot antea, id ipsum, ut illuc deferretur affectuose depostulans, pervenisset, intrans monasterium, plenus dei spiritu, hec verba protulisse refertur: *Hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam preelegi eam*. Quod verum esse eventus edocuit, et sacri corporis sui inibi facta tumultatio manifestat. Cepit enim illic in infirmitate corporis gravari, eadem viribus paulatim destitui, infirmitatem tamen ipsam, etsi dierum plurimum, non impatienter tolerans, sed equanimiter, totus ut erat humilis, patientia supportans, qua sibimet leniret infirmitatem, deo obedientia placeret, ministris de se, quod non intendebat, aggeneraret reverentiam, imitande queque patientie exempla preberet, adeo ut eiusdem monasterii Fossenove fratres inibi deo devotius famulantes, hec in sancto viro religionis exempla contemplantes, illius tunc infirmantis corpore prompti obsequiis mancipari, quem utique tanta refertum fore patientia cernebant singuli ligna de silva, singuli quaeque illi opportuna voluntarie propriis humeris deferebant, non extimantes fore conveniens, ut brutorum animalium humeri, in portandis eidem rebus accommodis prestarent obsequia, qui tantarum virtutum prerogativa pollebat.

Cumque in eadem infirmitate, de qua obiit, sacratissimum dei et domini nostri Ihesu Christi corpus, in cibum sumendum sibi et viaticum deferretur, totus profusus in lacrimas, et dulci amore eiusdem anima assueta dulcedini dei liquefacta, inter cetera multa, et decora, que protulit, hec vel similia fidei et devotionis verba, toto illius Monasterii conventu, multisque dicti Predicatorum et Minorum ordinum assistentibus fratribus, eructasse refertur: *Ego de isto sacratissimo corpore dei et domini nostri Ihesu Christi et aliis sacramentis multa docui, multa conscripsi in fide Christi Ihesu, et sancte Romane ecclesie, cuius correctioni cuncta subicio, cuncta expono*. Receptoque deinde ab ipso eodem vivifico sacramento, cunctisque aliis sacramentis ecclesie debita vene-

ratione, cum lacrimarum effusione, susceptis, tertio die obdormivit in domino, cui credidit, quem amavit, et tota mentis affectione dilexit. *Fidelis* inquam *servus et prudens* non pertinax, non proprio sensui aut prudentie initens, et nulla de se scientie sue opinione superbus, nam *qui prescrutator est maiestatis opprimetur a gloria*. Unde sapienter doctor idem, atque humiliter, ut prefati sumus, omnem suam verbo vel scripto doctrinam ad eiusdem ecclesie fidei normam fidei devotione reduxit, quam Petri ore diffusam stabilem noverat, et nullis concussionum flatibus agitandam; cum post veram divinitatis Christi recognitionem qua respondit; *Tu es Christus filius de vivi*, ab ipso audire meruerit: *Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam*: et alibi: *Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua*; dumque pro Petro Christus rogat, pro ipsius ecclesia intercedit.

Verum quia dignum erat et consonum, ut quem deus viventem in hoc seculo tantis suis donis, gratiisque perfecerat, assumptum in celis sanctificatum fore hominibus declararet, multis eundem virum dei post ipsius de hac vita transitum licet etiam antea nonnulla fecisse memoretur, magnisque fecit clarere miraculis, multis, clarisque signis gloriosus coruscare, ut illud psalmi merito de ipso dicamus: *Scitote quia mirificavit dominus sanctum suum*, sicque vita eius attestaretur miraculis, et illius miracula eiusdem vite testimonium perhiberent. De quibus pauca de multis in dei laudem sancti huius commendationem, aedificationem fidelium, idoneis comprobata testibus, praesentibus subnectemus.

Post septimum namque mensem, vel circa, a die obitus ipsius sancti Thome de Aquino, cum corpus eius, quod in capella sancti Stephani dicti monasterii, per idem tempus sepultum extiterat, ad sepulcrum eiusdem, primum scilicet, iuxta altare maius ecclesiae monasterii antedicti, unde ad tempus per monachos eiusdem monasterii, timoris causa sublatum fuerat, ne corpus ipsius omnino de dicto monasterio tolleretur, per translationem denuo exhumatum, deferri exinde decrevissent, in apertura ipsius sepulcri eiusdem capelle sancti Stephani, tanta fragrantis odoris suavitas manavit, quod totam ipsam capellam, claustrumque ipsius monasterii quod diffusum est, mira eadem suavitate replevit. Que de ipsius sancti corpore exiens, prout ex sollicita, curiosaque monachorum ipsorum indagine est compertum, mirifice fundebatur. Propter quod maiori per monachos concepta ad ipsum devotione, totus conventus processionaliter priore tamen dicti monasterii, cum quibusdam ex monachis paramentis induto, corpus ipsum ad prefatum primum eius sepulcrum honorifice detulerunt,

cantantes in crastino, propter illa quae viderant, missam veluti de uno confessore solemniter. Cum reputarent incongruum, si missam de *Requiem eternam*, ac si pro defuncto, pro illo cantarent. Hanc similemque fragrantiam post septem annorum spatium, quidam ex testibus, quidam vero quasi post quatuordecim annorum spatium sensisse se referunt, dum corpus ipsum diversis ex causis per temporum vices sedulo inspexissent. Quippe odor, carnis eius munditiam deo acceptam exprimebat, orationum illius odorama representabat, famam quoque claram eius diffusionemque virtutum, et illarum aromata non celabat.

Quidam arte chirurgicus, sed per decennium infirmitate podagricus, ita quod ire per se, vel ambulare nequaquam absque baculorum sustentatione, aut aliorum suffragio poterat, se deo et beato Thome devovens, iuxtaque eius tumulum incumbens, oratione facta, sanus prosiliit, et currens deum laudans, quod meritis eius esset de tam longe infirmitatis languore curatus.

Alter quidam ex horribili quadam visione fanthasmatis timiditate percussus, pedibus manibusque contractus fuit, et ore ac facie distortus, sensibus carens, et omni virtute destitutus, ita quod loqui non poterat, sed mortuo similis videbatur; adeo ut igne membris eius admoto nullatenus sentiret, portatus ad tumulum illius post morulam, liber, et sanus omnino a dicto sepulcro surrexit.

Alius dum non devote de sancto sentiret, virtutem dei in sancto, in se duplicem expertus est, infirmitatis dum contempnit, sanitatis dum a contemptus culpa discedit. Nam cum sibi, devotionis causa a quodam capellano plures venerande reliquie monstrarentur, ipseque ostensor pretiosiores adhuc se habere reliquias, videlicet manum fratris Thome de Aquino, fateretur, illico hunc derisorie de hiis truffantem, cum eas videre non curaret dicens: sanctus non est, sed quidam ordinis Predicatorum frater, tremor apprehendit, et capud eius ad modum cuiusdam magne ciste grossum, et valde ponderosum sibi esse videbatur, sed infirmitate correctus, et penitens, simulque de sua incredulitate, dictisque deplorans, dum veniam a sacerdote petitam obtinuit, reverenter manum eiusdem sancti Thome deosculans, confestim a tremore et inflatione capitis liberatus evasit, sensitque progredientem, ut retulit, maximum ex dicta manu suavitatis odorem. Qui odor cum ipsius curati caputio, personaeque ex tactu manus eiusdem per magnum tempus inhereret, multis eundem postmodum percipientibus, siscitantibusque quid esset, hoc signo narrare quod acciderat, etsi nolens, miraculum cogeatur.

Notarius quidam dum ad mensam sanus accederet, surgens ab illa gravi squinantie infirmitate tentus est. Duobus diebus propterea et linguam movere non potuit, et loquelam amisit. Cumque multa ei medicorum remedia adhibita, quin eadem infirmitas in augmentum procederet non prodesse, immo de illo desperarent: ad sanctum conceptam devotionem, ut ad tumulum eius deferretur, quam lingua non valebat, manus sue scriptura deprompsit. Verum cum illuc repugante uxore sua, quia mulieribus intrare prefati monasterii ecclesiam non liceret, nequaquam duceretur, ipse hoc infirmus advertens infra seipsum, eidem beato viro, se, ut eum liberaret, affectuosius commendavit. Cepit ex tunc linguam ducere, meliorari, et convalere, ac brevi temporis intervallo perfecte curatus fuit.

Dum alius quidam per septem ebdomadas, et ultra, febre cotidiana, malo epatis et stomachi affligeretur, quadam die veneris, cum peius haberet, auditis quibusdam miraculis, que per virum dei facta esse dicebantur, cum se ad ipsum devotione sequenti die sabbati de sero, uxoris sue suasibus, eaque presente, devovisset: die dominico proximo in mane se a prefatis infirmitatibus plene reperit liberatum.

Mulier quedam, cum filium suum duorum mensium in cunis decubantem periclitari, non immerito formidaret, pro eo presertim, quod per menses quatuor ex surditate adeo gravata esset, ut decies exclamata, vagientem etiam puerum vix audiret, viri sui inductione, qui mestus una cum illa communis filii periculo condolebat, predicto viro dei, ut eam ab eadem infirmitate eriperet obnixius devovit, emissoque voto, cum nocte secuta dormisset, in crastino se liberatam sancti meritis reperit, ut optabat.

Puella gutturis sui fauces squinantie habens infirmitate constrictas, in tantum ut nec quid sumere solidum, aut liquidum valeret, et hanelitus sibi meatus, ut vix respirare posset intercluderentur; dum devote se beato viro, a matre persuasa commendaret, ductaque foret in crastinum ad dictum monasterium Fossenove, superpositis gutturi suo dicti viri sancti reliquiis in quadam cassa delatis, confestim melioratam se sensit, panem comedit, perfecteque sanata redivit.

Quidam prefati monasterii Fossenove conversus, adeo gravem in brachio dextro, et spatula dolorem patiebatur, ut ipsum brachium, quod per trium mensium cum dimidio spatium detulerat suspensum ad collum, ei erat inutile, dolore presertim vehementer afflictum. Qui cum requisitum medicorum remedium non haberet, et amplius dolore gravaretur, dum dicto sancto pro sua liberatione se quodam emisso



voto humiliter commendasset, seque supra eius tumulum posuisset; ibidem obdormivit, ac excitatus deinde a quodam dicti monasterii monacho, brachium, quod linteo prius habebat, incumbens, collo adhuc dependenti, extractum a linteo reperit, excitatorumque a sompno more, dum ambas manus capiti suo, ut ipsum scalperet, apposisset, se liberatum intellexit, id confratribus retulit ac astantibus, quod notum fuerat, miraculum non celavit.

Infans quidam quatuor annorum tumorem, et ruborem in costis et crure usque ad pedem patiebatur adeo afflictivum, ut nec a matre sua, vel alio tangi sine lesione, et clamore suo, aliquatenus potuisset; movere se non poterat, per mensem in tanto dolore et anxietate fuit; a medicis spes curationis eius sine incisione pueruli non inveniebatur; illaque, si fieret, perpetuo eum in persona futurum impeditum, mestis amaritudine mentibus nunciabat, deficiente natura, artisque suffragio non invento, recursum est ad deum, qui gloriosus est in sanctis suis, faciens prodigia. Nam mater infantuli, que ipsum diligebat, ut mater, eum beato Thome devotius commendavit, ut a dicta infirmitate absque incisione suis meritis liberaret. Delatus est puer ad monasterium, positus super tumulum sancti, postque aliquantulam morulam, sanus inde surrexit.

Hec sunt igitur *testimonia tua*, deus, quae de hoc viro iusto, nobis *credibilia facta sunt nimis*; nam *si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est*, quo eius animam celum possidere iam credimus: intercessorem ipsum expectamus: ac inter sanctorum agmina quasi stellam matutinam eum fidimus esse locatum. Unde fidem tuam in nobis, bone Ihesu, nutris, spem erigis, dilectionis caritatem accendis. Letetur itaque mater ecclesia, exultet Italia, parens Campania iocundetur, predicatorum sacer ordo iam iubilet, religiosorum devotio concrepet; doctorum turba complaudat, animentur ad studia iuvenes, proveci non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, contemplationem non deserant, mandata dei seduli exequantur. Nam *dedit illi cor ad precepta, et legem vite, et discipline, et sapientia humiliati exaltabit caput illius. In medio enim ecclesie aperuit os eius, et implevit eum dominus spiritu sapientie, et intellectus, stolam glorie induit illum*. Nam veritas, que Christus est, ipsa veris non fictis doctoribus pollicetur: *Qui elucidant me, vitam eternam habebunt*. Quamvis ipse verus iustitiae sol, stellarum illustratione non egeat, nec illarum radiatione, cum illuminentur ab ipso, clarescat. Habitat enim lucem inaccessibilem, *qui est splendor glorie et figura substantie*

*eius*, idcirco tenebris non obscuratur, ut deficiat, aut nebulis obfuscatur, ut sue claritatis radios non diffundat.

Ceterum, quia rationis ordo depostulat, ut triumphantem in celis ecclesiam devota in terris militans subsequatur, illumque veneratione proficua percolat, quem in celestibus agminibus positum, deum glorificare cognoscit, Nos, de sanctitate vite ac miraculorum veritate confessoris eiusdem, non semel tantum, sed et primo, et secundo, non festine, sed mature inquiri fecimus, et per Nos etiam, et fratres nostros sancte Romane ecclesie Cardinales, inquisitionem huiusmodi, exacta discussione examinavimus diligenter, ut tanto firmiter quanto maturius, tanto certius quanto disquisitius, inquisitum et examinatum existeret, in sic arduo sicque difficili negotio procedere valeremus. *Difficile* namque *extimamus que in terra sunt et que in prospectu sunt, invenimus cum labore. Que autem in celis sunt, quis investigabit?* Cumque per huiusmodi nostram et eorundem fratrum nostrorum examinationem sollicitam, et sollicitudinem examinatum, vitam eius sanctam, et miracula vera, eius meritis facta, probata fuisse constiterit supplicantibus Nobis idipsum humiliter, et devote, multis tunc relatis apud sedem apostolicam existentibus, de dictorum fratrum nostrorum consilio et assensu, auctoritate dei omnipotentis, patris, et filii, et spiritus sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra, eum sanctorum confessorum cathalogo duximus ascribendum.

Ideoque universitatem vestram monemus, et hortamur attente, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus nonis martii festum confessoris eiusdem devote, ac solemniter celebretis, et faciatis a vestris subditis veneratione congrua celebrari, ut pia eius intercessione, et hic a noxiis protegi, et in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Ut autem ad venerabile ipsius sepulcrum ardentius, et affluentius christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem confessoris colatur festivitas, omnibus vere penitentibus et confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petaturi, de omnipotentis dei misericordia, et eorundem beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, auctoritate confisi, unum annum, et quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad predictum sepulcrum infra septem dies festum ipsum immediate sequentes, centum dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus.

Datum Avinione, xv Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Septimo.

---